

In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Et iterum: Quaecumque volueritis, ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis. Haec est enim lex et prophetae. Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans, et quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem et adorans. Et iterum: Exiit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat; quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se, quid enim pro se innocens precaretur? sed pro dilectis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce satanas expetivit, ut vos vexaret quomodo triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus patrem deprecatur, dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Magna Domini propter salutem nostram benignitas pariter et pietas, ut non contentus, quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius et roget. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, ut quomodo unum sunt pater et filius, sic et nos in ipsa unitate maneamus: ut hinc quoque possit intelligi, quantum delinquat, qui unitatem scindit et pacem: cum pro hoc et rogaverit Dominus, volens scilicet sic plebem suam salvam fieri et in pace vivere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quidquam